



Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologica

Ex Sacris Scriptvris, Conciliorvm Pontificvmqve Decretis, Et Sanctorvm Patrvm Ac Doctorum Placitis Expressa ; In qua, quidquid tum ad fidei mysteria sanè ac rectè intelligenda, & ab erroribus quibusvis secernenda, tum ad sacramenta debitè conficienda & ministranda, tum ad actiones humanas iuxta ...

Complectens ea quæ ad Sacramenta & mores pertinent

Abelly, Louis

Coloniæ Agrippinæ, 1659

Sect. I. Vtrum Confirmatio sit Sacramentum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38979

CAPVT TERTIVM.

De Sacramento Confirmationis.

SECTIO I.

Vtrum Confirmatio sit Sacramentum.

Confirmationis nomine intelligitur ritus ille, quo Episcopus baptizati frontem sub certam verborum formam sacro Chrismate ungit: qui ritus à S. Clemente Epist. 4. vocatur *Consignatio*; à S. Cypriano Epist. 73. ad Iubaianum, *signaculum Dominicum*; à S. Augustino lib. 2. con. Petilianum cap. 104. *Sacramentum Chrysmatis*; & aliter ab aliis: communi tamen nomine & magis usitato in Ecclesia vocari solet *Confirmatio*; quod nomen ante 1200 annos usurpatum reperitur à S. Melchiade Pontifice in Epist. sua Decretali ad Episcopos Hispaniæ, ubi ait quòd *Confirmatio armat & instruit nos ad agonem vite istius.*

Verùm quidquid sit de nomine, certum est Confirmationem esse Sacramentum novæ legis à Christo Domino institutum, Hanc veritatem, quæ de fide est, negant hæretici huius temporis, & olim negavit etiam Novatus, ut ut refert Eusebius lib. 6. cap. 35. Contra quos,

Probamus illam primò ex Script. Act. 8. ubi dicitur Samaritanos quosdam post Baptismum susceptum accepisse Spiritum sanctum per manuum impositionem sanctorum Petri & Ioannis: ex quo quidem loco constat Spiritum sanctum, id est gratiam, collatam fuisse per ritum quemdam externum, qui (ut dicitur in Conc. Senon. Decreto 10.) *tunc impositionis manuum, nunc Confirmationis appellatum est Sacramentum*; & eodem sensu hunc locum explicat S. Cyprianus Epist. 73. ad Iubaianum, & Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos.

C

110

Probatur 2. ex Concil. Constantinop. 1. can. 7. dicitur eos, qui ab Hæreticis baptizati ad Ecclesiam veniunt, *Signandos esse signaculo Spiritus sancti: & ex Concilio Florent. in decr. Eug. & Trident. sess. 7. can. 1. de Confirmatione in quibus definitum est Confirmationem esse verum sacramentum vtz legis Sacramentum.*

Probatur 3. ex S. Dionysio cap. 4. de Eccl. Hier. dicit quod illi, qui divina regenerationis Sacramento initiati sunt, *divini Spiritus adventum largitur unguenti consecratione uncti: & S. August. lib. 2. cont. lit. Petil. c. 14. Sacramentum Chrismatis in genere visibilibus signaculorum sacramentum est, sicut ipse Baptismus.*

Quæres quo tempore hoc Sacramentum à Christo Domino fuit institutum? Respondetur probabilissimum esse (sicut docet Suares disp. 32 sect. 2) præcipue & facte fuisse institutum post Christi Domini resurrectionem; cum à apostolis plenitudinem Episcopalis potestatis in corpus mysticum Ecclesie sue contulit dicens illis *Joan. 20. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: quodcumque ligaveris super terram, &c.* non obstat, quin verum sit, quod S. Fabianus Episcopus 2. dixit, ipsum Christum in ultima Cœna Discipulos suos Chrismatis conficiendi rationem docuisse, ut promanavit consuetudo sacrum Chrisma conficiendi die Cœnæ Domini; quæ quidem semper in Ecclesia servata est, & adhuc servatur.

SECTIO II.

Quænam sit materia & forma Sacramenti Confirmationis.

Materia remota hujus Sacramenti est Chrisma, oleo olivarum & balsamo confectum, & ab Episcopo benedictum; proxima verò est ipsius Chrismatis unctio in fronte susipientis ab Episcopo in cruce figuram facta. Forma autem consistit in his verbis quæ ab Episcopo proferuntur: *Signo te signo crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.*